



MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM IN HISPANIA CELEBRANDÆ

Die 8 Decembris

In Festo et in Octava

CONCEPTIONIS IMMACULATÆ B. M. V.

Hispaniarum et Indiarum
Patronæ

Missa Gaudens gaudébo, ut in
Missali, eadem die.

Die 9 Decembris

In aliquibus Diœcesibus

S. LEOCADIÆ

Virg. et Mart.

Patronæ Toletanæ

Introitus Ps. 118, 95-96

ME expectavérunt peccatóres, ut pérderent me : testimónia tua, Dómine, intelléxi : omnis consummationis vidi finem : latum mandátum tuum nimis. Ps. ib. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. V. Glória Patri.

Oratio

Beátæ Leocádiæ Virginitis et Mártiris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur : ut quæ pro tui nóminis confessióne cárceres et mortem pertulit, suo nos patrocinio ab ætérno cárcere defendat. Per Dóminum nostrum.

Reliqua ut in Missa Loquébar, de Communi I loco.

Et sit Commem. Octavæ et Petriæ.

Dicitur Credo, ratione Octavæ, et Præfatio Et te in Conceptione immaculáta.

Die 12 Decembris

In aliquibus Diœcesibus

S. EULALIÆ EMERITENSIS

Virginitis et Martyris

Missa Loquébar, de Communi Virginitum I loco, præter sequentia :

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : da nobis in festivitáte sanctæ Virgínis et Mártyris tuæ Euláliæ cóngrua devotióne gaudere; ut et poténtiam tuam in ejus passióne laudémus, et promíssum nobis percipiámus auxiliúm. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ et Feriæ.

Dicitur Credo, ratione Octavæ, et Præfatio Et te in Conceptiône immaculáta.

==== Die 18 Decembris ====

In multis Diócesibus

EXSPECTATIO PARTUS

B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

==== Die 20 Decembris ====

In nonnullis Diócesibus

S. DOMINICI SILENSIS

Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui Ecclésiám tuam beáti Dominici Confessóris tui præcláris vitæ méritis decorásti, et in liberándis captivis gloriósis lætificásti miráculis : concéde nobis fámulis tuis; ut et ipsíus instruámur exémpis, et ab omni vitiórum servitúte, ejus patrocínio liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Vigilæ S. Thomæ et Feriæ. In fine legitur

Evangelium Vigilæ. At in Feriis Quatuor Temporum Commemoratio Vigilæ postponitur Commemoratió Feriæ, cujus Evangelium legitur in fine.

==== Die 23 Decembris ====

In nonnullis Diócesibus

B. NICOLAI FACTORIS

Confessoris

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco, præter sequ. :

Oratio

Deus, qui beátum Nicoláum Confessórem tuum ineffábili caritátis tuæ igne succénsum, te puro corde sectári fecísti : da nobis fámulis tuis; ut eódem spiritu repléti et caritáte fervéntes, viam mandatórum tuórum inoffénso pede currámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Secreta

Divini illius amóris incéndio, quæsumus Dómine, hæc sacrosáncta mystéria júgiter nos inflámment, quo beátus Nicoláus éadem peragéndo mirabiliter æstuábat. Per Dóminum.

Postcommunio

Angelórum pane nutriti, et supérna dulcédine perfúsi, te, Dómine, suppliciter exorámus : ut beáti Nicolái intercessióne et exémplo, corda nostra a terrénis cupiditatibus sint libera, et ad cæléstia semper aspirént. Per Dóminum.

In Sabbato Quatuor Temporum legitur in fine Evangelium Feriæ.

— Die 30 Decembris —

In multis Diocesisibus

In Translatione

S. JACOBI Apostoli
Hispaniarum Patroni

Introitus Tob. 13, 13-14



UCE splendida fulgēbit
justus : nationes ex longinquo venient ad eum,
et adorabunt Dominum in conspectu ejus, et terram suam in sanctificationem habebunt.
Ps. 150, 1 Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.
℟. Gloria Patri.

Oratio

Deus, qui dispositione mirabili corpus beati Jacobi Apostoli tui de Jerosolymis ad Hispaniam transferri, et in Compostella gloriose sepeliri voluisti : concede, quaesumus; ut ejus meritis et precibus in caelesti Jerusalem collocari mereamur. Per Dominum.

Et sit Commemoratio Octavae Nativitatis.

Lectio Epistolae beati Pauli
Apostoli ad Corinthios.

I Cor. 15, 49-50

Frates : Non omnis caro eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium, et corpora caelestia, et corpora terrena : sed alia quidem caelestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum.

rum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione : seminatur in ignobilitate, surget in gloria : seminatur in infirmitate, surget in virtute : seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale : deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de caelo, caelestis. Qualis terrenus, tales et terrena : qualis caelestis, tales et caelestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terrena, portemus et imaginem caelestis. Hoc autem dico, fratres : quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.

Graduale Ps. 33, 7 Iste sanctus clamavit ad Dominum, et exaudivit eum : et de omnibus tribulationibus ejus salvabit eum. ℟. Custodit Dominus omnia ossa ejus : unum ex his non conteretur.

Alleluja, alleluja. ℟. Isai. 2, 2 et 11, 10 Fluent ad eum omnes gentes, et erit sepulchrum ejus gloriosum. Alleluja.

✠ Sequentia sancti Evangelii
secundum Matthaeum.

Matth. 20, 20-23

In illo tempore : Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab

eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic ut sédeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere cálicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei : Possumus. Ait illis : Cálicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. Credo.

Offertorium Eccli. 44, 14 Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem, allelúja.

Secreta

Præsta, quæsumus omnipotens Deus : ut beati Jacobi Apóstoli tui intercessione, quem ad laudem tui nominis dicatis munéribus honoramus, piæ in nobis fructus devotionis accrescat. Per Dóminum.

Præfatio et Communicantes, de Nativitate.

Communio Isai. 55, 5 Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, et adorabunt propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israël, quia glorificavit te.

Postcommunio

Deus, qui beatum Jacobum Apóstolum tuum gloriosum fecisti in cælis, et ejus corpus singulâri cultu venerari voluisti in terris : concede propitius ; ut qui mirabilem ejus Translationem festivo celebramus obséquio, ad æternam

glóriam, ejus intercessione, transferri mereamur. Per Dóminum.

Die 16 Januarii

S. FULGENTII

Episc., Conf. et Doct.

Missæ In médio, de Communi Doctorum.

Dicitur Credo.

Et fit Commemoratio S. Marcelli I Papæ et Mart. ut in Missali.

Die 21 Januarii

In aliquibus Dioccesibus

SS. MM. FRUCTUOSI Episc.

AUGURII ET EULOGII

Diaconorum

Missæ Intret, de Communi plurimorum Martyrum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui beatum Fructuosum et ejus Diaconos Augurium et Eulogium per ignem probatos, martyrio decorasti : concede nobis famulis tuis ; ut ipsorum intercessione flamma divini amoris succensis, cum illis pariter coronemur in cælis. Per Dóminum.

Die 22 Januarii

In aliquibus Dioccesibus

In Festo et in Octava

S. VINCENTII Martyris

Introitus Sap. 10, 21 et 14

CERTAMEN forte dedit illi Dóminus ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia : descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum.

Ps. 58, 9 Fortitudinem meam ad te custodiam : quia Deus suscceptor meus es. *℣.* Glória Patri.

Oratio

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus : adversa mundi invicta mentis constantia tolerare ; qui beatum Levitam Vincéntium nec minis terreri, nec poenis passus es superari. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio S. Anastasii Mart. (in Missis privatis tantum si Festum S. Vincentii sit I vel II cl.)

Oratio

Adesto, Dómine, supplicatió-nibus nostris : ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Mártiris tui Anastásii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Lectio libri Apocalýpsis beati Joánnis Apóstoli.

Apoc. 1, c. 2 et 3

In diébus illis : Audívi vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis : Scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua : Scio ópera tua, et labórem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos : et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat : Vincénti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei, manna absconditum, et cálculum candidum : et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vicerit, et custodierit usque in finem ópera

mea, dabo illi potestatem super Gentes : vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus : fáciam illum colúnnam in templo Dei mei, et dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Graduale 2 Tim. 4 Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : in réliquo repósita est mihi coróna justitiæ. *℣.* Phil. 1 Magnificábitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Allelúja, allelúja. *℣.* 1 Cor. 15 Cum mortále hoc indúerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absórpta est mors in victória. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequ., dicitur

Tractus Ps. 58 Cantábo fortitudinem tuam, Dómine, et exaltábo mane misericórdiam tuam. *℣.* Quia factus es suscceptor meus, et refúgium meum, in die tribulatiónis meæ. *℣.* Adjútor meus tibi psallam, quia Deus suscceptor meus es.

✠ Sequéntia sancti Evangélli secúndum Matthæum.

Matth. 10, 28-31

In illo tēpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolíte timere eos, qui occidunt corpus, ánimam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et ánimam et corpus pèrdere in ge-

hénnam. Nonne duo pásseres
asse véneunt : et unus ex illis
non cadet super terram sine
Patre vestro? Vestri autem
capilli cápitis omnes numeráti
sunt. Nolíte ergo timére : mul-
tis passéribus meliôres estis
vos. Omnis ergo, qui confitê-
bitur me coram homínibus,
confitêbor et ego eum coram
Patre meo, qui in cælis est.

Dicitur Credo, et per Octavam,
ubi hoc Festum cum Octava cele-
bretur.

Offertorium Apoc. 3 Qui ví-
cerit, vestiétur vestiméntis
albis, et confitêbor nomen ejus
coram Patre meo, et coram
Angelis ejus.

Secreta

Hodiérnum tibi, Dómine, sa-
crificium lætantes offéri-
mus : quo beáti Vincéntii cæl-
léstem victóriam recenséntes,
et tua magnália prædicémus,
et nos acquisisse gaudeámus
suffrágia gloriósa. Per Dómi-
num.

Pro S. Anastasio Secreta

Múnera tibi, Dómine, no-
stræ devotiónis offérimus :
quæ, et pro tuórum tibi grata
sint honóre justórum, et nobis
salutária, te miseránte, reddán-
tur. Per Dóminum.

Communio Marc. 8 Qui per-
diderit ánimam suam propter
me et Evangélium, salvam fá-
ciet eam.

Postcommunio

Cæléstibus, Dómine, corró-
bora nos sacraméntis : ut
eádem virtúte vitiórum blandi-
ménta vincámus, qua beátus

Martyr Vincéntius tormentó-
rum immanitátem pro fide tui
nóminis superávit. Per Dómi-
num.

Pro S. Anastasio

Postcommunio

Quæsumus omnipotens Deus :
ut qui cæléstia aliménta
percépimus, intercedénte beáto
Mártyre tuo Anastásio, per
hæc contra ómnia advérsa
muniámur. Per Dóminum.

Die 23 Januarii

S. ILDEFONSI

Archiepiscopi Toletani,

Confessoris

Missa ut inter Festa pro aliquibus
locis, eadem die.

Et sit Commemoratio S. Raymun-
di de Peñafort Conf. et S. Emeren-
tianæ Virg. et Mart. ut in Missali.

Die 28 Januarii

In aliquibus Dicecesibus

S. JULIANI

Ep. Conchensis et Conf.

Introitus

Eccli. 31



STABILITA sunt bona il-
lius in Dómino, et ele-
mósynas illius enarrá-
bit omnis ecclésia sanctórum.
Ps. 40 Beátus qui intélligit su-
per egénum, et páuperem : in
die mala liberábit eum Dómi-
nus. *N.* Glória Patri.

Oratio.

Excita, quæsumus Dómine,
in pópulo tuo spíritum
caritátis, quo beátum Juliánum
Confessórem tuum atque Pon-
tíficem replére dignátus es : et
concede ; ut cujus festivitátem

celebrámus, per ejus ad te
exémpla gradiámur. Per Dó-
minum nostrum., in unitáte
Spíritus.

Et sit Commemoratio S. Agnetis
secundo, ut in Missali eadem die.

Lectio Actuum Apostolorum.

Act. 20, 17-18, 28 et 32-35

In diébus illis : A Miléto
Paulus mittens Ephesum,
vocávit majóres natu Ec-
clésiæ. Qui cum venissent ad
eum, et simul essent, dixit eis :
Atténdite vobis, et univérso
gregi, in quo vos Spíritus San-
ctus pósuit episcopos régere
Ecclésiám Dei, quam acquisi-
vit ságuine suo. Comméndo
vos Deo, et verbo grátia ipsius,
qui potens est ædificáre, et
dare hæreditátem in sanctifi-
cátis ómnibus. Argéntum, et
aurum, aut vestem nullius con-
cupívi, sicut ipsi scitis : quó-
niam ad ea, quæ mihi opus
erant, et his qui mecum sunt,
ministravérunt manus istæ.
Omnia osténdi vobis, quóniam
sic laborántes, opórtet susci-
pere infirmos, ac meminisse
verbi Dómini Jesu, quóniam
ipse dixit : Beátius est magis
dare, quam accipere.

Graduale Ps. 111 Dispérsit,
dedit paupéribus : justítia ejus
manet in sæculum sæculi.
℟. Potens in terra erit semen
ejus : generátio rectórum bene-
dicétur.

Allelúja, allelúja. ℟. Eccli. 29
Conclúde eleemósynam in sinu
pauperis, et hæc pro te exorá-
bit ab omni malo. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Al-
lelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Tob. 4 Ex substán-
tia tua fac eleemósynam, et noli
avértere faciém tuam ab ullo
paupere. ℟. Si multum tibi
fúerit, abundánter tribue : si
exíguum tibi fúerit, étiam
exíguum libénter impertíri stu-
de : præmium enim bonum
tibi thesaurizas in die necessi-
tátis. ℟. Quóniam eleemósy-
na ab omni peccáto et a morte
liberat; et non patiétur ánimam
ire in ténebras.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum.

Matth. 6, 19-34

In illo témpore : Dixit Jesus
discípulis suis : Nolíte the-
saurizáre vobis thesáuros
in terra : ubi ærúgo, et tinea
demolítur : et ubi fures effó-
diunt, et furántur. Thesaurizáte
autem vobis thesáuros in cæ-
lo : ubi neque ærúgo, neque
tinea demolítur; et ubi fures
non effódiunt, nec furántur.
Ubi enim est thesáurus tuus,
ibi est cor tuum. Lucérna cór-
poris tui est óculus tuus. Si
óculus tuus fúerit simplex, to-
tum corpus tuum lúcidum erit.
Si autem óculus tuus fúerit ne-
quam, totum corpus tuum tene-
brósum erit. Si ergo lumen,
quod in te est, ténebræ sunt,
ipsæ ténebræ quantæ erunt?
Nemo potest duóbus dómimis
servíre : aut enim unum ódio
habébit, et álterum díliget :
aut unum sustinébit, et álterum
contémnet. Non potéstis Deo
servíre, et mammónæ. Ideo
dico vobis, ne sollíciti sitis áni-

mæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca : et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea : et Pater vester cæléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans, potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómo-
do crescunt : non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomón in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit : quanto magis vos módicæ fidei? Nolite ergo sollíciti esse, dicétes : Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus : et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Offertorium Eccli. 29 Pone thesáurum tuum in præcéptis Altíssimi, et próderit tibi magis quam aurum.

Secreta

Pro sancti Confessóris tui Juliáni, Dómine, solemnitáte hóstiam immolámus, humíliter deprecántes : ut quod nostris méritis obtinére non póssumus, ejus, qui tibi plácuít, nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Communio Luc. 12 Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis : quo fur non apprópiat, neque tinea corrumpit.

Postcommunio

Cæléstibus refécti sacraméntis, te súplices, Dómine, deprecámur : ut qui beáti Juliáni Confessóris tui atque Pontificis solémnia recólimus, per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

==== Die 29 Januarii ====

In aliquibus Diócesibus

S. VALERII

Ep. Cæsaraugustani,
Confessoris

Missa Státuit, de Communi Conf. Pont., præter Orationem sequi.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sacram beáti Valérii Confessóris tui atque Pontificis solemnitátem hodiérna die venerári voluísti : nos fámulos tuos ab omni culpa líberos esse concéde : ut ejus intercessióne ad vitam perveniámus æternam. Per Dóminum.

==== Die 1 Februarii ====

In nonnullis Diócesibus

S. CÆCILII

Episc. et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris Pont., præter sequentia.

Oratio

Deus, qui nos per beátum Cæciliium Mártirem tuum atque Pontificem ad agnitiónem

tui nómínis venire tribuísti :
concéde propítius; ut per quem
supérni múnérís rudiménta
suscépimus, per eum subsidiá
perpétuæ salútis impetrémus.
Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Joánnem.
Joann. 12, 24-26

In illo témpore : Dixit Jesus
discípulis suis : Amen,
amen dico vobis, nisi gra-
num fruménti cadens in ter-
ram, mórtuum fúerit, ipsum
solum manet : si autem mórtuum
fúerit, multum fructum
affert. Qui amat ánimam suam,
perdet eam : et qui odit ánimam
suam in hoc mundo, in vitam
æternam custódit eam. Si quis
mihi ministrat, me sequátur :
et ubi sum ego, illic et míster
meus erit. Si quis mihi mini-
stráverit, honorificábit eum
Pater meus.

— Die 12 Februarii —

In Diócesi Barcinonensi

**S. EULALIÆ
BARCINONENSIS
Virginis et Martyris**

Missá Loquébar, de Comuni
Virginum, præter Orationem se-
quentem :

Oratio

Deus, qui nos martýrii beátæ
Eulaliæ Virginis et Máty-
ris tuæ solemnitate lætificas :
concéde propítius; ut gloriosis-
simis ejúsdem méritis, et terré-
na nobis proficiant, et cælestia
desideráta provéniant. Per
Dóminum.

— Die 14 Februarii —

In aliquibus Diócesibus

**B. JOANNIS BAPTISTÆ
A CONCEPTIONE
Confessoris**

Missá Justus ut palma, de Com-
muni Cónf. non Pont. 2 loco præter
sequentia.

Oratio

Deus, qui ad majórem san-
ctissimæ Trinitátis glóriam
propagándam beátum Joán-
nem Baptistam Confessórem
tuum admirábili spíritus forti-
túdine et invícta paciéntia ro-
borásti : concéde nobis fámulis
tuis; ut ejus imitatióni júgiter
inhæréntes, glóriam assequá-
mur æternam. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio Feriæ in
Quadragesima et S. Valentini Presb.
Mart., ut in Missali eadem die.

Lectio Epistolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Corínthios.
2 Cor. 6, 4-10

Fratres : Exhibeámus nos-
metípsos sicut Dei miní-
stros in multa paciéntia,
in tribulatió nibus, in necessitá-
tibus, in angústiiis, in plagis, in
carcéribus, in sediti ó nibus, in
labóribus, in vigiliis, in jejúniis,
in castitate, in sciéntia, in longa-
nimitate, in suavitate, in Spiri-
tu Sancto, in caritate non ficta,
in verbo veritátis, in virtúte
Dei, per arma justitiæ a dextris
et a sinistris : per glóriam et
ignobilitatem : per infámiam et
bonam famam : ut seductóres,
et veraces : sicut qui ignóti, et
cógnti : quasi moriéntes, et
ecce vivimus : ut castigáti, et
non mortificáti : quasi tristes,

semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.

Secreta

Purificet nos, quæsumus Dómine, muneris præsentis oblatio : et intercessióne beáti Joánnis Baptistæ Confessoris tui, fiat per grátiam tuam in nobis spíritus renovátio. Per Dóminum.

Postcommunio

Córporeis tui sacri, ac pretiosi sanguinis, quo redempti sumus, Dómine Jesu Christe, participes effecti, quæsumus : ut intercedente beáto Joánni Baptista Confessore tuo, redemptionis æternæ fructus percipere mereámur : Qui vivis et regnas.

==== Die 25 Februarii ====

In aliquibus Diócesibus

B. SEBASTIANI AB APPARICIO Conf.

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont., præter sequentia.

Oratio

Deus, qui beátum Sebastíanum Confessorem tuum in simplicitate cordis ambulare fecisti, ac cælestibus donis cumulasti : concede propitius ; ut ejus intercessióne, et puris mentibus tibi servire, et grátiae tuæ múnere consequi valeámus. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Commemoratio Feriæ.

Evang. Nolite timere, ut in Missa Justus ut palma, de eodem Comm. 2 loco.

Secreta

Hæc, quæ tibi, Dómine, offerimus dona, beáto Sebastíanus interveniente, et majestati tuæ accepta, et humilitati nostræ salutaria reddantur. Per Dóminum.

Postcommunio

Da nobis, misericors Deus : ut sacra mensa refecti, quem de divino hoc alimento beátus Sebastíanus fructum percipit, et nos etiam percipere mereámur. Per Dóminum.

==== Die 27 Februarii ====

S. LEANDRI

Ep., Conf. et Doct.

Missa In medio, de Communi Doctorum, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui Ariánam pravitatem doctrina sancti Confessoris tui atque Pontificis Leandri ex Hispania propulisti : da plebi tuæ ; ut ejusdem méritis et precibus ab omni errorum et vitiorum labe semper libera conservetur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ac legitur ejus Evangelium in fine.

Dicitur Credo.

==== Die 1 Martii ====

In aliquibus Diócesibus

S. RUDESINDI

Episc. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Conf. Pontificis præter sequentia.

Oratio

Propitiare, quæsumus Dómine, nobis famulis tuis, per sancti Confessoris tui atque

Pontificis Rudesíndi mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Evangel. Sint Iumbi, ut in Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont.

Die 3 Martii

In nonnullis Diócesibus

SS. HEMETHERII ET CELEDONII Mart.

Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum præter sequentia.

Oratio

Deus, qui gloriósos Mártires Hemethérium et Celedónium in tui nóminis confessióne roborásti : concéde propítius; ut quorum córpora venerámur in terris, eórum aspéctu perfruámur in cælis. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. *℟.* Sicut unguéntum in cápite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. *℟.* Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua. *℟.* Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offerimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salu-

tária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martíribus tuis Heme-thério et Celedónio, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 6 Martii

In aliquibus Diócesibus

S. OLLEGARII Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem sequi.

Oratio

Deus, qui ánimam beáti Ollegárii Confessóris tui atque Pontificis in cælis cum Christo regnántem, et corpus in terris íntegrum illæsúmque consérvas : concéde propítius; ut ejus intercessióne ita in hoc mundo vivámus, ut cum Christo in glória regnáre valeámus: Qui tecum vivit et regnat.

In Quadragesima fit Commemoratió Feriæ.

Die 15 Martii

In multis Diócesibus

S. RAYMUNDI DE FITERO

Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbat., præter sequentia

Oratio

Deus, qui beáto Raymúndo Abbáti præliári prælia tua, et fidei inimicos superáre dedísti : concéde; ut ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

In Quadragesima fit Commemoratió Feriæ.

✠ Sequéntia sancti Evangélli
secúndum Lucam.

Luc. 3, 7-14

In illo témpore : Dicébat
Joánnes ad turbas, quæ
exibant, ut baptizáréntur
ab ipso : Geníminá viperárum,
quis osténdit vobis fúgere a
ventúra ira? Fácite ergo fru-
ctus dignos poeniténtiæ, et ne
cœpéritis dicere : Patrem ha-
bémus Abraham. Dico enim
vobis, quia potens est Deus de
lapídibus istis suscitáre filios
Abrahæ. Jam enim secúris ad
radicem árborum pósita est.
Omnis ergo arbor non faciens
fructum bonum, excidétur, et in
ignem mittétur. Et interrogá-
bant eum mílites, dicéntes :
Quid faciémus nos? Et ait illis :
Néminem concutiátis, neque
calúmniam faciátis : et con-
ténti estóte stipéndiis vestris.

==== Die 18 Martii ====

S. BRAULII

Ep. Cæsaraugustani et Conf.

Missa Státuit, de Communi Conf.
Pont., præter Orationem sequi.

Oratio

Ecclésiám tuam, Dómine, per-
pétuis tuere præsídiis :
quam beáti Braúlii Confessóris
tui atque Pontificis muníre vo-
luísti zelo, eruditíone et exém-
plis. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

==== Die 23 Martii ====

In nonnullis Diocesisibus

S. JOSEPHI ORIOL Conf.

Missa Os justi, de Communi Conf.
non Pont., præter Orationes sequen-
tes.

Oratio

Deus, qui beátum Joséphum
Confessórem tuum mirá-
bili abstinentiæ dono et cura-
tiónum grátia decorásti : con-
céde; ut a culpis abstinentes in
terris, poeniténtiæ præmium
assequámur in cælis. Per Dó-
minum.

Secreta

Purífica, Dómine, corda no-
stra : ut, qua puritáte beá-
tus Joséphus cæléstem óbtulit
victimam, eádem nos offerá-
mus. Per Dóminum.

Postcommunio

Divinum tuum épulum, Dó-
mine, quod beáto Josépho
jejunánti temporále præbuit
aliméntum, ætérnum nobis, te
miseránte, largiátur. Per Dó-
minum.

==== Die 24 Martii ====

In nonnullis Diocesisibus

B. DIDACI JOSEPHI

A GADIBUS Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Gusti meditábitur sa-
piéntiam, et lingua ejus
loquétur júdicium : lex
Dei ejus in corde ipsíus. Ps.
ibid. Noli æmulári in malignán-
tibus : neque zeláveris faciéntes
iniquitátem. ✠. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátum Dídacum
Joséphum Confessórem
tuum sciéntia sanctórum deco-
rásti, et in salútem gentis suæ
mirábiliter direxísti : ejus no-
bis intercessíone concéde, quæ
pia et recta sunt, sápere; ut ad

regnum glóriæ tuæ feliciter perducámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commemoratio Feriæ.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10 et 3, 10-12

Carissime : Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexisse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans : sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælesti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutíonem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectíonem, patiéntiam, persecutiónes, passiones : quælia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenisti eum in benedictiónibus dulcedinis : posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio. *V.* Vitam pétiit a te, et tribuisti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. *V.* Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. *V.* Glória, et divitiæ

in domo ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja. *V.* Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 32-34

In illo tēpore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolíte timere, pusillus grex, quia compláuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidéti, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis : quo fur non apprópiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 20, 3-4 Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum : posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretiósio.

Secreta

Múnera, quæ ob veneratió-nem beáti Dídaci Joséphi Confessóris offerimus, grata tibi sint, Dómine, et secúndum divitias grátie tuæ fiant nobis pignora salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fídelis servus, et prudens, quem constituit Dóminus super fa-

miliam suam : ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio

Caelésti dape refécti, súpli-
ces te, Dómine, deprecá-
mur : ut intercedénte beáto
Dídaco Josépho Confessóre
tuo, dóceas nos próspera mun-
di despícere, et æténa semper
inquirere. Per Dóminum.

Die 14 Aprilis

S. PETRI GONZALEZ

vulgo S. TELMI

appellati, Confess.

Introitus Ex Isai. 59, 21

DICIT Dóminus : Sermó-
nes mei, quos dedi in os
tuum, et múnera tua ac-
cépta erunt super altáre meum,
(allelúja, allelúja.) Ps. 101, 2
Dómine, exáudi oratióem
meam : et clamor meus ad te
veníat. ✽. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui in maris periculis
constitútis beáti Petri opem
singulárem osténdis : ejus no-
bis intercessióne concéde; ut in
hujus vitæ procéllis tuæ grátiae
lumen semper affúlgeat, quo
æternæ salútis portum invenire
valeámus. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio S. Justini
Mart. ; deinde Feriæ in Quadrage-
sima, et Ss. Tiburtii et Soc. Mm.
ut in Missali eadem die.

Léctio Epístolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Thessalonicenses.

1 Thess. 2, 2-8

Fratres : Fidúciam habú-
imus in Deo nostro loqui
ad vos Evangélium Dei
in multa sollicitúdine. Exhortá-

tio enim nostra non de erróre,
neque de immundítia, neque in
dolo, sed sicut probáti sumus
a Deo, ut crederétur nobis
Evangélium : ita lóquimur, non
quasi homínibus placétes, sed
Deo, qui probat corda nostra.
Neque enim aliquándo fúimus
in sermóne adulatiónis, sicut
scitis; neque in occasióne avari-
tíæ : Deus testis est : nec
quæréntes ab homínibus gló-
riam, neque a vobis, neque ab
áliis. Cum possémus vobis óne-
ri esse ut Christi Apóstoli : sed
facti sumus párvuli in médio
vestrum, tamquam si nutrix
fóveat filios suos. Ita deside-
rántes vos, cúpide volebámus
trádere vobis non solum Evan-
gélium Dei, sed étiam ánimas
nostras : quóniam caríssimi
nobis facti estis.

Allelúja, allelúja. ✽. Jac. 1, 12
Beátus vir, qui suffert tentatió-
nem : quóniam cum probátus
fúerit, accípiet corónam vitæ.
Allelúja. ✽. Eccli. 45, 9 Amá-
vit eum Dóminus, et ornávit
eum : stolam glóriæ induit
eum. Allelúja.

Extra tempus Paschale :

Graduale Ps. 91, 13 Justus ut
palma florébit : sicut cedrus
Libani multiplicábitur in domo
Dómini. ✽. Ibid. 3 Ad annun-
tiándum mane misericórdiam
tuam, et veritátem tuam per
noctem.

Allelúja, allelúja. ✽. Jac. 1, 12
Beátus vir, qui suffert tentatió-
nem : quóniam cum probátus
fúerit, accípiet corónam vitæ.
Allelúja.

In Quadrag. vero, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. *N.* Potens in terra erit semen ejus : generatio rectórum benedicétur. *N.* Glória, et divítia in domo ejus : et justítia ejus manet in sáeculum sáeculi.

✠ Sequéntia sancti Evangéllii secúndum Matthæum.
Matth. 10, 7-10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes prædicáte, dicétes : Quia appropinquávit regnum cælórum. Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite : gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniám in zonis vestris : non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam : dignus enim est operárius cibo suo.

Offertorium Ps. 106, 28-30 De necessitatibus eórum edúxit eos, et státuit procéllam ejus in auram : et siluérunt fluctus ejus, et lætáti sunt quia siluérunt : et dedúxit eos in portum voluntátis eórum, (allelúja).

Secreta

Propitiáre nobis, Deus noster : ut quos salutáribus réficis sacraméntis, intercessióne beáti Petri Confessóris tui jungas nomínibus beatórum. Per Dóminum nostrum.

Communio Ps. 88, 10 Tu domináris potestáti maris : mo-

tum autem flúctuum ejus tu mítigas, (allelúja).

Postcommunio.

Corda nostra, quásumus Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra : ut verbo salutis erudíti, interveniénte beáto Petro Confessóre tuo, nóxia cuncta vitémus, et quæ recta sunt, ágere valeámus. Per Dóminum.

==== Die 16 Aprilis ====

S. TURIBII DE LIEBANA
Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Conf. Pont.

Orationes ut in Missa Sacerdótes tui, de eodem Communi 2 loco.

==== Die 17 Aprilis ====

B. MARIÆ ANNÆ A JESU
Virginis

Missa Dilexísti, de Communi Virginum, præter Orationes sequi.

Oratio

Dómine virtútum, clementís- sime Deus, qui beátam Mariám Annam Virgínam tuam innúmeris grátia tuæ munéribus cumulásti : ejus nobis précibus concéde ; ut quam solémni veneratióne cólimus, étiam actiόνibus imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ in Quadrag. et S. Aniceti Papæ et Mart., ut in Missali eadem die.

Secreta

Múnera, quæ tibi, Dómine, in beátæ Mariæ Annæ festivitáte sacrámus : et víncula nostræ pravitátis dissólvant, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum.

Postcommunio

Cælésti pábulo recreátis, con-
céde miséricors Deus : ut
nos fámulos tuos beátæ Mariæ
Annæ virtútum exempla, quæ
celebráre deléctat, non pígeat
imitári. Per Dóminum.

==== Die 27 Aprilis ====

In tota provincia ecclesiastica
Tarraconensi

**B. MARIE V. DE MONTE
SERRATO**

Patronæ Catalauniæ

Introitus Isai. 35, 2

GERMINANS — germinábit,
et exsultábit lætabúnda
et laudans : glória Líba-
ni data est ei : decor Carméli,
et Saron, allelúja, allelúja. Ps.
86, 1 Fundaménta ejus in món-
tibus sanctis : díligit Dóminus
portas Sion super ómnia taber-
nácula Jacob. *℣.* Glória Patri.

Oratio

Bonórum ómnium largítor,
Deus, qui eléctum montem
gloriosæ Unigéniti tui Matris
insígni cultu claríficas : concé-
de; ut, ejúsdem immaculátæ
semper Virginitis Mariæ præsi-
dio poténter adjúti, ad montem,
qui Christus est, secúri perve-
niámus : Qui tecum vivit.

Léctio libri Sapiéntiæ

Prov. 8, 22-35

Dóminus possédit me in
initio viárum suárum, án-
tequam quidquam fáce-
ret a princípío. Ab ætérno or-
dináta sum, et ex antíquis, án-
tequam terra fieret. Nondum
erant abýssi, et ego jam con-

cépta eram : necdum fontes
aquárum erúperant : necdum
montes gravi mole constíte-
rant : ante colles ego parturié-
bar : adhuc terram non féce-
rat, et flúmina, et cárdines or-
bis terræ. Quando præpará-
bat cælos, áderam : quando
certa lege et gyro vallábat
abýssos : quando æthera fir-
mábat sursum, et librábat fon-
tes aquárum : quando circúm-
dabat mari términum suum, et
legem ponébat aquis, ne trans-
írent fines suos : quando ap-
pendébat fundaménta terræ.
Cum eo eram cuncta compón-
ens : et delectábar per síngu-
los dies, ludens coram eo omni
témptore : ludens in orbe terrá-
rum : et delíciæ meæ esse cum
filiis hóminum. Nunc ergo, filii,
audíte me : Beáti, qui custó-
diunt vias meas. Audíte disci-
plinam, et estóte sapiéntes, et
nolíte abjícere eam. Beátus ho-
mo, qui audit me, et qui vígi-
lat ad fores meas quotidie, et
obsérvat ad postes óstii mei.
Qui me invénerit, invéniet vi-
tam, et háuriet salútem a Dó-
mino.

Tempore Paschali

Allelúja, allel. *℣.* Num. 17, 8
Virga Jesse flóruit : Virgo
Deum et hóminem genuit : pa-
cem Deus réddidit, in se re-
concílians ima summis. Alle-
lúja. *℣.* Luc. 1, 28 et 42 Ave,
María, grátia plena; Dóminus
tecum : benedícta tu in mulié-
ribus. Allelúja.

Extra Tempus Paschale

Graduale Cant. 6, 9 Quæ est
ista, quæ progréditur quasi

auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? *℣.* Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. *℣.* Judith 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélli secúndum Lucam.

Luc. 1, 39-47

In illo témpore : Exsúrgens María ábiit in montána cum festinátione in civítatem Juda : et intrávit in domum Zachariæ, et salutávit Elisabeth. Et factum est, ut audívit salutatióem Mariæ Elisabeth, exsultávit infans in útero ejus : et repléta est Spírítu Sancto Elisabeth, et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulieres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatióis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : et exsultávit spírítus meus in Deo, salutári meo.

Et dicitur Credo per totam Octavam.

Offertorium Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatióem suam a nobis, allelúja.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Mariæ semper Virginitatis intercessióne, ad perpétuam atque præsentem hæc oblátio nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitate, et dicitur per Octavam, nisi Missa aliqua propriam habeat.

Communio Luc. 1, 48 Respexit Dóminus humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc, o María, beátam te dicent omnes generatióes, allelúja.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salutis nostræ subsidiis : da, quæsumus, beátæ Mariæ semper Virginitatis patrocinium nos ubique prótegi ; in cujus veneratióne hæc tuæ obtulimus majestati. Per Dóminum.

— Die 28 Aprilis —

In nonnullis Diocesisibus

S. PRUDENTII

Episcopi et Confessoris

Missa Státuit, de Comuni Conf. Pont. 1 loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, largitor pacis, qui beáto Prudentio Confessori tuo atque Pontífici miríficam dissidentes ánimos componendi grátiam tribuísti : da, quæsumus ; ut ejus méritis et intercessióne veram cum tua voluntate concórdiam júgiter servemus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli a Cruce Conf. atque S. Vitalis Mart., ut in Missali eadem die.

Secreta

Ut nobis, Dómine, unitátis et pacis dona concédas, quæ sub oblátis munéribus mystice designántur, fac nos semper beáti Prudentii Confessoris tui atque Pontificis válidis muníri præsiðiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde : ut, quos tua mensa satiásti, intercedén-te beáto Prudentio Confessore tuo atque Pontífice; mútua semper fácias dilectióne concórdes. Per Dóminum nostrum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus.

Die 4 Maii

In tota provincia ecclesiastica
Tarraconensi

IN OCTAVA B. M. V.
DE MONTE SERRATO

Missa ut in die, cum Commemora-tione S. Monicæ Viduæ, ut in Missali hac die.

Die 10 Maii

In nonnullis Diócesibus

B. JOANNIS DE AVILA Conf.

Introitus Is. 58, 1

GLAMA, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Israél peccáta eórum, allelúja. allelúja. Ps. 67, 34-35 Ecce dabit voci suæ vocem virtútis : date glóriam Deo super Israél. *W.* Glória Patri.

Oratio

Bonórum ómnium largítor, Deus, qui beátum Joán-nem Confessórem tuum in ani-

mábus ad salútis viam diri-géndis, et peccatóribus ad pæ-niténtiam reducéndis magi-strum admirábilem effecísti : concéde, quæsumus; ut, ejus vestígiis júgiter inhæréntes, glóriam consequámur ætér-nam. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio S. Antonini Ep. et Conf., ac Ss. Gordiani et Epi-machi Mm., ut in Missali eadem die.

Léctio Epístolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Corínthios.

1 Cor. 2, 1-17

Cum venissem ad vos, fra-tres, veni non in sublimi-táte sermónis, aut sapiénti-æ, annúntians vobis testimó-nium Christi. Non enim judicá-vi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et sermo meus, et prædicatio mea non in persua-sibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíri-tus, et virtútis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem loquimur inter perfé-ctos : sapiéntiam vero non hu-jus sæculi, neque princípum hujus sæculi, qui destruúntur : sed loquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscondita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram.

Allelúja, allelúja. *W.* Is. 52, 7
Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædi-cántis pacem : annuntiántis bonum, prædicántis salútem. Allelúja. *W.* Prov. 10, 31 Lin-gua pravórum períbit : lingua autem sapiéntium est sánitas. Allelúja.

† Sequéntia sancti Evangélij
secúndum Lucam.

Luc. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dicite : Pax huic dómui : et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscepérint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Is. 61, 1 Misit me Dóminus, ut medérem contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, munus Oblátum : et intercessióne beáti Joánnis Confessóris tui, quem exímia erga Eucharistiæ sacraméntum caritáte ditásti,

ad salútem nobis proveníre concéde. Per Dóminum.

Aliae Secretæ ut supra.

Communio 1 Cor. 9, 22 Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifácerem. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos, allelúja.

Postcommunio

Cæléstí pignore refécti, quæsumus, Dómine, Deus noster : ut, beáti Joánnis Confessóris tui précibus et exémplo, ómnia mundi advérsa fórtiter superémus. Per Dóminum nostrum.

Aliae Postcommuniones ut supra.

==== Die 13 Maii ====

In nonnullis Diocesisibus

S. PETRI REGALATI
Confessoris

Missæ Os justi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco, præter Orationem sequentem :

Oratio

Deus, qui diléctum fámulum tuum Petrum carne mortificátum ad delicias glóriæ tuæ assúmere dignátus es : concéde propítius; ut ad delectatiónes, quæ in dextera tua sunt, usque in finem, méritis ejus et intercessióne perveníre valeámus. Per Dóminum.

==== Die 15 Maii ====

S. ISIDORI Agricolæ,
Confessoris

Missæ ut inter Festa pro aliquibus locis. Et fit Commemoratio S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf., ut in Missali eadem die.

Die 17 Maii

S. PASCHALIS BAYLON

Confessoris

Missa Os justi, de Communi Conf.
non Pont. I loco, præter sequentia :

Oratio

Deus, qui beátum Paschálem
Confessórem tuum mirífica
erga Córporis et Sánguinis tui
sacra mystéria dilectióne de-
corásti : concéde propítius ; ut,
quam ille ex hoc divíno conví-
vio spíritus percépit pinguédi-
nem, eámdem et nos percípere
mereámur : Qui vivis et regnas.

✠ Sequéntia sancti Evangéllii
secúndum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore : Respón-
dens Jesus, dixit : Confiteor
tibi, Pater, Dómine
cæli et terræ, quia abscondísti
hæc a sapiéntibus et prudénti-
bus, et revelásti ea párvulis.
Ita, Pater : quóniam sic fuit
plácitum anté te. Omnia mihi
trádicta sunt a Patre meo. Et
nemo novit Fílium, nisi Pater :
neque Patrem quis novit, nisi
Fílius, et cui volúerit Fílius re-
veláre. Veníte ad me, omnes,
quí laborátis et onerátí estis,
et ego reficiam vos. Tóllite
jugum meum super vos, et dí-
scite a me, quia mitis sum et
húmilis corde : et inveniétis
réquiem animábus vestris. Ju-
gum enim meum suáve est et
onus meum leve.

Secreta

Accépta sit tibi, Dómine, hæc
hóstia placatiónis et laudis :
et præsta ; ut, qui tuum júgi-

ter implorámus auxiliúm, beáti
Paschális intercessióne, quod
fidéliter pétimus, efficáciter
consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio

Córporis tui sacri et pretiósí
Sánguinis repléti libámíne,
quæsumus, Dómine, Deus no-
ster : ut, intercedénte beáto
Paschále Confessóre tuo, cæ-
léstis beatitúdinis tríbuas nos
esse consórtes : Qui vivis.

Die 21 Maii

In multis Diócesibus

SS. TORQUATI

ET SOCIORUM

Episcoporum et Martyrum,
Discipulorum S. Jacobi Apost.

Tempore Paschali

Introitus Dan. 3, 84 et 87

SACERDOTES Dei, bene-
dicite Dóminum : sancti
et húmiles corde, lau-
dáte Deum, allelúja, allelúja.
Ibid., 57 Benedícite, ómnia
ópera Dómini, Dómino : lau-
dáte et superexaltáte eum in
sæcula. ✠ Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos post beatissi-
mum Jacóbum Apóstolum
per beátos Mártires tuos atque
Pontifices Torquátum, Ctesi-
phóntem, Secúndum, Indalé-
tium, Cæcílíum, Hesýchium et
Euphrásium ad agnitióne[m] tui
nóminis venire tribuísti : con-
cède propítius ; ut, quos festívo
venerámur obséquo, eórum
intercedéntibus méritis æténa
gáudia consequámur. Per Dó-
minum nostrum.

Lectio libri Sapiëntiæ.

Sap. 5, 1-5

Stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitacione insperatæ salutis, dicentes intra se, penitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore : ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.

Allelûja, allelûja. *Ps.* 20, 4
Posuisti, Domine, super capita eorum coronam de lapide pretioso. Allelûja. *Ps.* Beati Pontifices nostri, qui nos docuerunt legem tuam, Domine : hodie in cælis coronati regnant in æternum. Allelûja.

✠ Sequëntia sancti Evangelii secundum Joannem.

Joann. 15, 1-7

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi

in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arcescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

Offertorium *Ps.* 88, 6
Confitebuntur cæli mirabilia tua, Domine : et veritatem tuam in ecclesia sanctorum, allelûja, allelûja.

Secreta

Grata tibi sit, Domine, nostræ servitutis oblatio : pro qua sancti Antistites et Martyres nostri Torquatus, Ctesiphon, Secundus, Indaletius, Cæcilius, Hesychius et Euphrasius precatores accedant. Per Dominum.

Communio *Ps.* 63, 11
Lætantur iusti in Domino, et sperabunt in eo : et laudabuntur omnes recti corde, allelûja, allelûja.

Postcommunio

Fidèles tuos, Domine, quæsumpsimus, sacramenta custodiant : et, qui beatorum Martyrum tuorum atque Pontificum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcili, Hesychii et Euphrasii prædicatione ad fidem pervenimus, eorum quoque meritis discamus terræna despiciere et amare cælestia. Per Dominum.

Extra Tempus Paschale

Omnia ut supra, demptis in Introitu, Offertorio et Communionem Allelûja, præter sequentia :

Lectio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3, 1-8

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori : et æstimáta est afflictió éxitus illórum : et quod a nobis est iter, exterminium : illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur : quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justí, et tamquam scintillæ in arundinétó discúrrunt. Judicábunt nátiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale Exodi 15, 11 Gloríus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodigia. *℟.* Ibid., 6 Dextera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte : dextera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. *℟.* Beáti Pontífices nostri, qui nos docuérun legem tuam, Dómine : hódie in cælis coronáti regnant in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 21, 9-19

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis prœlia et seditiões, nolíte terréri : opórtet pri-

mum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injiciént vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, tráhéntes ad reges et præsides propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes advérsárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte afficiént ex vobis : et éritis ódio ómnibus propter nomen meum : et capillus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

==== Die 23 Maii ====

In multis Diœcesibus

IN APPARITIONE

S. JACOBI

Apost., Hispaniæ Patroni

Introitus

Ps. 56, 4 ; 75, 4 ; 23, 8

MISIT Dóminus auxiliúm de cælo, et liberávit nos : dedit in opprobrium conculcántes nos, quia confrégit poténtiam inimicórum nostrórum, scutum, gládium, et bellum : Dóminus fortis et potens, Dóminus po-

tens in prælio, allelúja, allelúja. Ps. 45, 2 Deus noster refúgium et virtus : adjutor in tribulatióibus, quæ invenérunt nos nimis. *N.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui Hispaniarum gentem beato Jacobo Apóstolo tuo protegendam misericórditer tribuísti, et per eum ab imminenti exitio mirabiliter liberásti : concéde, quæsumus; ut, eodem protegente, pace perfuámur æterna. Per Dóminum.

Lectio libri Machabæorum.

2 Mach. 15, 7-11 et 17-27

In diebus illis : Machabæus semper confidébat cum omni spe auxiliium sibi a Deo affuturum. Et hortabatur suos ne formidarent ad adventum nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de cælo, et nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege et Prophétis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos : et ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium fallaciam, et juramentorum prævaricationem. Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, expósito digno fide somnio, per quod universos lætificavit. Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, et animi juvenum confortari, statuerunt dimicare et

confligere fortiter : ut virtus de negotiis judicaret, eo quod civitas sancta et templum periclitarentur. Erat enim pro uxoribus, et filiis, itemque pro fratribus, et cognatis minor sollicitudo : maximus vero et primus pro sanctitate timor erat templi. Sed et eos, qui in civitate erant, non minima sollicitudo habebat pro his, qui congressuri erant. Et, cum jam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiae equitesque opportuno in loco compositi, considerans Machabæus adventum multitudinis, et apparatus varium armorum, et ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dóminum invocavit, qui non secúndum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem invocans hoc modo : Tu, Dómine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia : et nunc, Dominator cælorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos in timore, et tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Judas vero, et qui cum eo erant, invocato Deo per orationes, congressi sunt : manu quidem pugnantes, sed Dóminum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati.

Allelúja, allelúja. *℟.* Isai. 19, 20 Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis propugnatórem, qui líberet eos. Allelúja. *℟.* Ps. 17, 40 Visitávit nos Dóminus per sanctum suum Apóstolum : præcínxit eum virtúte ad bellum, et inimícos nostros superávit. Allelúja.

Extra Tempus Paschale dicitur

Graduale Exodi 15, 6 Dêxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine : dêxtera manus tua confrégit inimícos. *℟.* Ps. 43, 8 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos : et qui nos odérunt, confudísti.

Allelúja, allelúja. *℟.* Ps. 17, 40 Visitávit nos Dóminus per sanctum suum Apóstolum : præcínxit eum virtúte ad bellum, et inimícos nostros superávit. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 20, 20-23

In illo témpore : Accessit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic, ut sédeant hi duo filii mei, unus ad dêxteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit : Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei : Póssumus. Ait illis : Cálicem quidem meum bibétis : sedére autem ad dêxteram meam vel sinistram, non est meum dare vo-

bis, sed quibus parátum est a Patre meo. Credo.

Offertorium Ps. 45, 9 Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : áuferens bella usque ad finem terræ, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ pro sancti Jacóbi Apóstoli tui veneratióne deférimus : et concéde propítius ; ut perpétuo ejúsdem patrocínio ab ómnium inimicórum liberémur insídiis, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Isai. 42, 13 Sicut dux fortis egrediétur, quasi vir proeliátor suscitábit zelum : vociferábitur, et clamábit : super inimícos suos confortábitur, allelúja.

Postcommunio

Dómine Deus, protéctor noster, qui per beátum Jacóbum Apóstolum tuum prodígia tuæ poténtiæ contra hostes in te credéntium mirabiliter osténdere dignátus es : concéde propítius ; ut, perpétuo ejúsdem auxilio, ómnium adversariórum nostrórum superáta nequítia, victóriam valeámus cantáre. Per Dóminum.

Extra Tempus Paschale dicitur eadem Missa (omissis Allelúja), at cum Graduali ut supra.

Die 30 Maii

S. FERDINANDI III

Confessoris,

Castellæ et Legionis Regis

Introitus 1 Par. 17, 24

DERMANEAT, et magnificetur nomen tuum usque in sempiternum : et dicatur : Dóminus exercituum Deus Israël. (T. P. Allelúja, allelúja.) Judith 16, 3 Dóminus cónterens bella, Dóminus nomen est illi. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beáto Confessóri tuo Ferdinándo proeliári próelia tua et fidei inimicos superáre dedisti : concéde; ut, ejus nos intercessióne muníti, ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum.

In Missis privatis tantum sit Commemoratio S. Felicis I Papæ et Mart., ut in Missali eadem die.

Lectio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 45, 1, 3, 13-14, 16, 25, 26

Hæc dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehéndi dexteram, ut subjiciam ante faciém ejus gentes, et dorsa regum vertam, et apéram coram eo jánuas, et portæ non claudéntur. Ego ante te ibo : et gloriósos terræ humiliábo : portas áreas cónteram, et vectes férreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcána secretórum : ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israël. Ego suscitávi eum ad justítiam, et omnes vias ejus dirígam : ipse ædifi-

cábit civitátem meam, et captivitátem meam dimíttet. Labor Ægypti, et negotiátio Æthiopiæ, et Sábaïm viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulábunt, vincti mánicis pergent. Confúsi sunt, et erubuérunt omnes : simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errorum : quia mihi curvábitur omne genu, et jurábit omnis lingua : meæ sunt justítia et impérium.

Graduale 1 Reg. 2, 10 Dóminus dabit impérium regi suo, et sublimábit cornu christi sui. *℟.* Ps. 88, 19 Quia Dómini est assumptio nostra, et sancti Israël regis nostri.

Allelúja, allelúja. *℟.* 1 Reg. 2, 10 Dóminum formidábunt adversárii ejus : et super ipsos in cælis tonábit. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. *℟.* Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja. *℟.* Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélij secúndum Matthæum.

Matth. 22, 15-22

In illo témpore : Pharisæi consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discípulos suos cum Herodiánis, dicéntes : Magíster, scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim réspicis per-

sónam hóminum : dic ergo nobis quid tibi vidétur, licet censum dare Cæsari, an non? Cógnota autem Jesus nequítia eórum, ait : Quid me tentátis, hypócritæ? Ósténdite mihi númíssa census. At illi obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jesus : Cujus est imágo hæc, et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et, quæ sunt Dei, Deo. Et audiéntes miráti sunt, et relicto eo abiérunt.

Offertorium Ps. 75, 12-13
Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, omnes qui in circúitu ejus affértis múnera : terríbili et ei qui aufert spíritum princípum, terríbili apud reges terræ. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Múnera quæ offérimus, Dómine, Deus noster, tibi sint plácita : et beáti Ferdinándi regis intercessióne concéde; ut nobis proficiant ad salutem ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Felicis ut supra.

Communio Ps. 135, 25 Confitémini Deo cæli, qui dat escam omni carni : confitémini Dómino dominórum, quóniam in ætérnum misericórdia ejus. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Cæléstis mensæ Córporis et Sánguinis tui pábulo recreáti, quæsumus cleméntiam tuam : ut, beáti Ferdinándi regis précibus et méritis, ætér-

næ retributiónis dona capiámus : Qui vivis et regnas.

Et fit Commem. S. Felicis ut supra.

Die 31 Maii

B. MARIÆ VIRGINIS OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis.

Feria VI post Octavam Corporis Christi SACRATISSIMI CORDIS D. N. J. C.

Missa Egredímini, ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem Feria.

Sabbato post Octavam Corporis Christi

In nonnullis Diócesibus

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die

Feria V post Octavam Corporis Christi

In aliquibus Diócesibus

EUCHARISTICI CORDIS D. N. J. C.

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis, eadem die.

Die 18 Junii

In multis Diócesibus

SS. CYRIACI ET PAULÆ Mm.

Introitus Ps. 33, 20-21

MULTÆ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus : Dóminus custódit ómnia

ossa eorum : unum ex his non conteretur. Ps. *ibid.*, 2 Benedicam Dóminum in omni tēpore : semper laus ejus in ore meo. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Præsta, quæsumus omnípotens Deus : ut familia tua, quæ sanctorum Mátyrum tuorum Cyriaci et Paulæ triúmphis gloriátur, fiat in Christi tui amóre ferventior; et quos patrónos venerátur in terris, pios apud te intercessóres habére mereátur in cælis. Per eúndem Dóminum nostrum.

Et sit Commemoratio S. Ephraem Diaconi, deinde Ss. Marci et Marcelliani Mm., ut in Missali eadem die.

Lectio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1 Petr. 4, 13-19

Carissimi : Communicantes Christi passiónibus gaudeáte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis : quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicida, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetitor. Si autem ut Christiánus, non erubescat : gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat júdicium a domo Dei. Si autem primum a nobis : quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, impius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiún-

tur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale Ps. 33, 18-19 Clamaverunt justí, et Dóminus exaudivit eos : et ex ómnibus tribulatió nibus eórum liberávit eos. *℟.* Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : et húmiles spíritu salvábit.

Allelúja, allelúja. *℟.* Eccli. 44, 14 Córpora sanctorum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatióne, et generatió nem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 21, 9-19

In illo tēpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis próelia et seditiões, nolite terréri : opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terrémótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injicient vobis manus suas, et persecúentur tradéntes in synagógas et custódiás, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmódum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a parén-

tibus, et fratribus, et cognatis,
et amicis, et morte afficient ex
vobis : et eritis odio omnibus
propter nomen meum : et capillus
de capite vestro non peribit. In
patientia vestra possidebitis animas
vestras.

Offertorium Ps 123, 7 Anima
nostra, sicut passer, erepta est
de laqueo venantium : laqueus
contritus est, et nos liberati
sumus.

Secreta

Præsta, quæsumus Domine
Deus noster : ut, sicut in
conspectu tuo mors est pretiosa
sanctorum ; ita beatorum
Martyrum tuorum Cyriaci et
Paulæ merita venerantium ac-
cepta tibi reddatur oblatio. Per
Dominum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6
Et si coram hominibus tor-
menta passi sunt, Deus tenta-
vit eos : tamquam aurum in
fornace probavit eos, et quasi
holocausta accepit eos.

Postcommunio

Sancti Martyres tui Cyriacus
et Paula, quæsumus Do-
mine, nos ubique lætificent :
ut, dum eorum merita in præ-
senti festivitate sacramenti tui
perceptione recolimus ; illorum
patrocinia in augmentum vir-
tutum sentiamus : Qui vivis et
regnas.

Die 20 Junii

S. FLORENTINÆ Virg.

Missa Dilexisti, de Comuni Vir-
ginum 3 loco.

Et fit Commemoratio S. Silverii
Papæ et Mart. ut in Missali eadem
dié.

Die 7 Julii

In pluribus Diocesisibus

S. FIRMINI

Episc. et Mart.

Patroni Regni Navarræ

Introitus

AUDEAMUS omnes in
Domino ; diem festum
celebrantes sub honore
beati Firmini Martyris : de cu-
jus solemnitate gaudent An-
geli, et collaudant Filium Dei.
Ps. 32 Exultate justi in Do-
mino : rectos decet collauda-
tio. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui per fidei præconium
et passionis agonem bea-
tum Firminum Episcopum et
Martyrem immortalitatis lau-
rea coronasti : concede propi-
tius ; ut cujus celebramus
triumphum, assequamur et
præmium. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Jacobi
Apóstoli. Jac. 1, 2-12

Carissimi : Omne gaudium
existimate, cum in tenta-
tiones varias incideritis :
sciéntes, quod probatio fidei
vestræ patientiam operatur.
Patientia autem opus perfec-
tum habet : ut sitis perfecti,
et integri, in nullo deficientes.
Si quis autem vestrum indiget
sapientia, postulet a Deo, qui
dat omnibus affluenter, et non
improperat : et dabitur ei. Po-
stulet autem in fide nihil hæsi-
tans : qui enim hæsitat, similis
est fluctui maris, qui a vento
movetur, et circumfertur. Non
ergo æstimet homo ille, quod

accípiat áliquíd a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua : dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos foeni transibit : exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit foenum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depéruit : ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatióne : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum. *℣.* Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja. *℣.* Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 12, 24-26

In illo témpore : Dixit Jesus discíplis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet : si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam : et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur : et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Inveni David servum meum, óleo

sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicata sanctifica : et, intercedénte beáto Firmíno Mártire tuo atque Pontífice, per eádem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, in cápíte ejus corónam de lápide pretiósio.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et, intercedénte beáto Firmíno Mártire tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 19 Julii

In aliquibus Diócesibus

SS. JUSTÆ ET RUFINÆ
SORORUM Virg. et Mart.

Hispalens.

Missa Loquébar, de Comuni Virgínium 1 loco præter Orationes et Epistolam.

Oratio

Deus, qui virtútem tuam in vasis fictilibus étiam frágilis sexus recóndens, sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Justæ et Rufinæ mirábilem fidei constántiam tribuísti : da nobis eárum patrocíniis in tui amóre perseveráre, et ad cælestem corónam perveníre. Per Dóminum.

Epistola De virgínibus ex Missa Vultum tuum de eodem Comuni 4 loco.

Secreta

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Virgínium et Mártyrum tuárum Justæ et Rufinæ festivitáte propósita : ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulisti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Mátyribus tuis Justa et Rufina : ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 20 Julii

S. LIBERATÆ

Virg. et Mart.

Patronæ Diœcesis Seguntinæ

Introitus

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Liberátæ Virgínis et Mátyris : de cujus solemnitate gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Beátæ Liberátæ Virgínis et Mátyris tuæ, quæsumus Dómine, précibus et méritis adjuvémur : ut quæ pro tui nóminis confessióne et pudicitiae defensióne in cruce pepéndit, ab inimicórum insídiis sua nos protectióne deféndat. Per Dóminum nostrum.

Reliqua ex Missa Loquébar de Comuni Virgínium 1 loco præter Evangelium Símile est regnum cælórum ex Missa Me exspectavérunt 2 loco.

Die 21 Julii

TRIUMPHI S. CRUCIS

Introitus Matth. 25, 24



VENITE, benedícti Patris mei, percípite regnum, quód vobis parátum est ab origine mundi, allelúja, allelúja. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum; quia mirabilia fecit. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui per Crucem tuam pópulo in te credéti triúmphum contra inimicos concédere voluisti: quæsumus; ut tua pietáte adorántibus Crucem victóriam semper tribuas et honórem : Qui vivis.

Et sit Commemoratio S. Præcedis Virg., ut in Missali eadem die.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Gal. 6, 14-18

Fratres : Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquíd valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicumque hanc régulam secúti fuerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israél Dei. De cétero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Dómini Jesu in corpore meo porto. Grátia Dómini nostri

Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Graduale Ps. 117, 24 et 16
Hæc dies, quam fecit Dóminus, exultémus, et lætémur in ea.
℣. Dèxtera Dómini fecit virtútem, dèxtera Dómini exaltávit me : dèxtera Dómini fecit virtútem.

Allelúja, allelúja. ℣. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amícti stolis albis, sequúntur Agnum quocúmque ferit! Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Lucam.

Luc. 24, 9-19

In illo témpore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum audieritis próelia et seditiões, nolíte terréri : opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestilentíæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injicient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes advérsárii vestri. Tradémini autém a paréntibus, et frátribus,

et cognátis, et amícis, et morte afficient ex vobis : et éritis ódio ómnibus propter nomen meum : et capillus de cápite vestro non peribit. In paciéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Credo

Offertorium Ps. 117, 16-17
Dèxtera Dómini fecit virtútem, dèxtera Dómini exaltávit me : dèxtera Dómini fecit virtútem : non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Sacrificium, Dómine, quod tibi immolámus, placátus inténde : ut ab omni nos éruat bellórum nequítia; et per vexillum sanctæ Crucis Filii tui, ad conteréndas adversariórum insídias, nos in tuæ protectiõnis securitáte constituat. Per eúmdem Dóminum.

Et sit Commemoratio S. Præxedis.


Præfatio de Cruce.

Communio Tob. 12, 6
Benedicimus Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei : quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio

Exáudi nos, Deus salutáris noster : et per triúmphum sanctæ Crucis a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Et sit Commemoratio S. Præxedis.



Die 24 Julii

IN VIGILIA S. JACOBI

Apost., Hispaniæ Patroni

Introitus Matth. 4, 21

PROCEDENS Dóminus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joánnem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eórum, reficiétes rétia sua : et vocávit eos. Ps. 18, 2 Cæli enarrant glóriam Dei : et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. V. Glória Patri.

Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut beáti Jacóbi Apóstoli tui, quam prævenimus, veneránda sollémnitas, et devotióne nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Christinæ Virg. et Mart., ex Missa Me expectavérunt, de Comuni Virg. et Mart. 2 loco.

Lectio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44, 25-27; 45, 2-4 et 6-9

Benedictio Dómini super caput justi. Ideo dedit illi Dóminus hereditátem, et divisit illi partem in tribubus duódecim : et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide, et lenitáte ipsíus, sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplinæ, et excésum fecit

illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et circumcínxit eum zona justitiæ : et induit eum Dóminus corónam glóriæ.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amici tui, Deus : nimis confortátus est principátus eórum. V. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

✠ Sequéntia sancti Evangélli secúndum Marcum.

Marc. 3, 13-20

In illo témpore : Ascéndens Jesus in montem, vocávit ad se quos volúit ipse : et venérunt ad eum. Et fecit ut essent duódecim cum illo : et ut mitteret eos prædicáre. Et dedit illis potestátem curándi infirmitátes, et ejiciéndi dæmónia. Et impósuit Simóni nomen Petrus : et Jacobum Zebedæi, et Joánnem fratrem Jacóbi, et impósuit eis nómina Boanérge, quod est, Filii tonitruí : et Andréam, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thaddæum, et Simónem Chananæum, et Judam Iscariótem, qui et trádidit illum. Et véniunt ad domum : et convénit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducáre.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus :

ut beáti Jacóbi Apóstoli tui suffrágii, cujus natalícia prævenimus; plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Christinae.

Communio Marc. 3, 17 Vocávit Dóminus Jacóbum Zebedæi, et Joánnem fratrem ejus, et impósuit eis nómina Boanerges, quod est, Filii tonítrui.

Postcommunio

Sancti Apóstoli tui Jacóbi, quæsumus, Dómine, supplicatióne placátus : et véniam nobis tribue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Christinae.

✠ Si hodie fuerit Sabbatum, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigilæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de ipsa Vigilæ sine Commemoratione Festi, additis in Missa Vigilæ 2. Oratione de sancta Mariæ Concéde, et 3. contra persecutores Ecclesie, vel pro Papa; ac de Vigilæ item legi possunt Missæ privatæ, cum 2. tamen Oratione de S. Apollinare, et 3. de S. Liborio Exáudi, ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

Die 25 Julii

S. JACOBI Apostoli,
Hispaniæ Patroni

Introitus Isai. 66, 19

RONAM in eis signum, dicit Dóminus : et mittam ex eis ad eos, qui non audiérunt de me : et annuntiábunt glóriam meam géntibus. (T. P. Allelúja, allel.) Ps. 18, 2

Cæli enarrant glóriam Dei : et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ✠. Glória Patri.

Oratio

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos : ut, beáti Jacóbi Apóstoli tui munita præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per Dóminum.

Lectio Epístolæ beáti Pauli
Apóstoli ad Corínthios.

1 Cor. 4, 9-15

Fratres : Puto, quod Deus nos Apóstolos novísimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutióne pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúdam vos, hæc scribo, sed ut filios meos caríssimos móneo. Nam si decem millia pædagogórum habeátis in Christo : sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos genui.

Graduale Malach. 2, 6 Lex Dómini semper fuit in ore ejus, et iniquitas non est invénta in

— Die 19 Augusti —

S. MAGINI Martyris


Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris non Pontif. 2 loco.

Evangelium Si quis vult post me venire, ex Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Mart. Pont. 2 loco.

Alia Missa

Pro Provincia Tarraconensi

Introitus Ps. 54, 7-8

UIS dabit mihi pennas colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine. Ps. ibid. Exáudi, Deus, oratióne meam, et ne despéxeris deprecatióne meam: inténde mihi, et exáudi me. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Magíni Mártyris tui triúmphi consecrásti; exáudi preces pópuli tui, et præsta: ut qui ejus mérita venerámur, fidei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Epistola Sancti per fidem, ut in Missali die 20 Januarii.

Graduale Ps. 111 Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. *℟.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicé-tur.

Allelúja, allelúja. *℟.* Ps. 20 Posuisti, Dómine, super caput Mártyris tui Magíni corónam de lápide pretiósio. Allelúja.

Evangelium Si quis vult post me venire, ex Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Mart. Pont. 2 loco.

Offertorium Ps. 63 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit

in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja.

Secreta

Hanc oblatiÓnem, omnípotens Deus, beáti Magíni mérita tibi reddant accéptam: ut ipsíus subsidiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Communio Glória et honóre coronásti eum; et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, ætér-næ vitæ sacraméta, te humíliter deprecántes: ut beáto Magíno Mártyre tuo pro nobis deprecánte, véniam nobis concíliet et grátiam. Per Dóminum.

— Die 27 Augusti —

S. TERESIÆ

Virginis, secundo

Missa Dilexísti, de Communi Virg. præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui illibáta præcórdia sponsæ tuæ igníto jáculo transfixísti, et caritátis víctimam consecrásti: ipsa interveniénte, concéde; ut corda nostra ardóre Sancti Spíritus férveant et te in ómnibus super ómnia díligant. Qui vivis... in unitáte ejúsdem.

— Die 31 Augusti —

Pro regno Arragoniæ

S. DOMINICI DE VAL

Pueri, Martyris

Missa In virtúte tua, de Communi unius Martyris non Pont.

Oratio

Deus, qui beáto Domínico, Mártýri innocéti, vitæ perpétuæ præmium contulísti : concéde quæsumus; ut ejus méritis et précibus fulti, æté-
na beatitúdine pérfrui mereá-
mur. Per Dóminum.

===== Sabbato =====

ante Dominicam I Septembris

**B. M. V. ANGELORUM
DE PODIO
vulgo DE PUIG.**

Missa Salve sancta parens, de
B. M. V. a Pentec. usque ad Ad-
ventum.

Oratio

Omnípotens, et miséricors
Deus, qui Genitrícis Fílii
tui Imáginem mirábilibus si-
gnis venerábilem, ac salutárem
nobis esse voluísti : da, quæsu-
mus, ut ipsíus beátæ Mariæ
Virgínis patrocínio ab ómni-
bus semper liberémur advér-
sis, et vitám cónsequi mereá-
mur ætérrnam. Per eúndem.

Credo. Præfatio B. Mariæ Et te in
Festivitáte.

===== Die 2 Septembris =====

S. ANTONINI Martyris

Missa Lætábitur, de Communi
unius Mart. non Pont. 2 loco.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus,
qui hunc diem beáti Anto-
nini Mártýris tui solemnitate
claríficas : exáudi preces pópuli
tui, et præsta; ut quæ fidéliter
éxpetit, eo suffragánte, cónse-
qui mereátur. Per Dóminum.

Evangelium Nisi granum frumén-
ti, ut in Missali die 10 Augusti.

===== Die 3 Septembris =====

Pro regno Valentino

**BB. JOANNIS ET PETRI
Martyrum**

Missa Intret, de Communi plurim.
Mart., præter sequ.

Oratio

Concéde, quæsumus omnípo-
tens Deus, infirmitáti no-
stræ præsidium : ut sicut bea-
tórum Mártýrum tuórum Joán-
nis et Petri gloriámur triúm-
phis, ita eórum constántiam
imitári non pígeat, quam cele-
bráre deléctat. Per Dóminum.

Ultimus \mathcal{V} . Gradualis. Hæc
est vera fratérnitas, quæ vicit
mundi crimina : Christum se-
cúta est, ínclýta tenens regna
cæléstia, allelúja.

===== Die 5 Septembris =====

Commemoratio S. JULIANI
Ep. Conchensis, Conf.

Introitus Eccli. 45

STATUIT ei Dóminus te-
stamentum pacis, et prin-
cipem fecit eum : ut sit
illi sacerdotií dignitas in ætérr-
num. Ps. 131 Meménto, Dómi-
ne, David, et omnis mansuetú-
dinis ejus. \mathcal{V} . Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beáti Juliáni,
Confessóris tui atque Pon-
tíficis, veneránda commemora-
tíone lætíficas : éxcita in nobis,
quæsumus, ejus spíritum inno-
céntiæ et caritátis, et præsta;
ut cujus recólimus mérita, per
ejus ad te gradiámur exémpla.
Per Dóminum.

Epistola Scitis grátiam Dómini, ut
in Festo S. Paulini, die 22 Junii.

Graduale. Eccli 44 Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *V.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

Allelúja, allelúja. *V.* Ps. 109 Tu es Sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja.

Evangelium Nolite timere, ex Missa Justus, de Communi Conf. non Pont.

Offertorium Ps. 88 Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Pro sancti Confessóris tui Juliáni, Dómine, commemoratióne hóstiam immolámus, humiliter deprecántes : ut quod nostris méritis obtinere non póssumus, ejus, qui tibi placuit, nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Communio Luc. 12 Fácite vobis sácculos qui non veteráscunt, thesáurum non deficientem in cælis, quo fur non apprópiat, neque tinea corrumpit.

Postcommunio

Cæléstibus refécti sacraméntis, te súplices, Dómine, deprecámur : ut qui beáti Juliáni, Confessóris tui atque Pontíficis, commemoratiónem recólimus, per illum sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

Die 9 Septembris
B. M. V. DE COVADONGA

Introitus Judith 13, 31

BENEDICTA tu a Dómino in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israél. Ps. Isai. 12, 5 Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérſa terra. *V.* Glória Patri.

Oratio

Omnipotens et miséricors Deus, qui ad defensionem pópuli christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxiliúmirabiliter constituísti : concéde propítius ; ut tali præsidio muníti certántes in vita, victóriam de hoste maligno consequi valeámus in morte. Per Dóminum.

Epístola ut in Missali die 16 Julii.

Graduale Eccli. 24 Ego feci in cælis ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texti omnem terram. *V.* Prov. 8 Beátus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.

Allelúja, allelúja. *V.* Qui me invenerit invéniet vitam, et háuriet salutem a Dómino. Allelúja.

Evangel. ut in Missali die 2 Julii.

Credo.

Offertorium Esther, 14 Deus fortis super omnes, exáudi voces auxiliú Genitrícis tuæ implorántium, qui nullam áliam spem habent, et libera

nos de manu iniquorum. Alle-
lúja.

Secreta

Pro religi6nis christiánae
triúmpho h6stias placati6-
nis tibi, D6mine, immolámus :
quæ ut nobis proficiant, open
auxiliátrix Virgo præstet, per
quam talis perfécta est vict6-
ria. Per D6minum.

Præfatio de B. M. V. Et te in
Festivitáte:

Communio Ps. 147 Non fecit
taliter omni nati6ni, et judicia
sua non manifestávit eis.

Postcommunio

Adésto, D6mine, p6pulis, qui
participati6ne C6rporis et
Sánguinis tui reficiúntur : ut
sanctíssima tua Genitríce au-
xiliánte, ab omni malo et perí-
culo liberéntur, et in omni
6pere bono custodiántur. Qui
vivis.

==== Eadem die ====

S. PETRI CLAVER Conf.

Missa ut in fine Missalis.

==== Die 12 Septembris ====

B. THOMÆ

A SPIRITU SANCTO

Martyris

Missa In virtúte, de Communi
unius Mart. non Pont. 1 loco.

Oratio

Deus, qui beátum Thomam
per ignis passi6nem glo-
ri6sa martýrii cor6na decorá-
sti : concéde propítius, ut ejus
intercessio nos in fide stábiles,
et in tuo semper fáciat am6re
fervéntes. Per D6minum.

Evangelium Si quis vult, ex Missa
Sacerd6tes Dei, de Communi unius
Mart. Pont. 2 loco.

==== Die 17 Septembris ====

Pro regno Arragoniæ

S. PETRI DE ARBUES

Martyris

Missa In virtúte, de Communi
unius Mart. non Pont.

Oratio

Præsta, quæsumus, omni-
potens Deus : ut beáti
Petri Mártyris tui fidem c6n-
grua devoti6ne sectémur, qui
pro ejúsdem fidei defensi6ne
martýrii palmam méruit obti-
nere. Per D6minum.

Evangelium Nihil est opértum,
ex Missa Lætábitur, de Communi,
2 loco.

==== Die 23 Septembris ====

S. THECLÆ

Virginis Protomartyris

Omnia sumuntur ex Missa Loqué-
bar, de Communi, præter Introitum
et Orationes.

Et dicitur Credo, per totam Octa-
vam.

Introitus



GAUDEAMUS omnes in
D6mino, diem festum
celebrántes, sub hon6re
beátæ Theclæ, de cujus solem-
nitáte gaudent Angeli, et col-
láudant Filium Dei. Ps. 95
Cantáte D6mino cánticum no-
vum : cantáte D6mino, omnis
terra. ✠. Glória Patri.

Oratio

Deus, pro cujus nóminis gló-
ria magnum certámen pas-
si6num beáta Thecla, Virgo et
Martyr tua, feminárum prima
invicta fide sustínuit : da no-
bis, ejúsdem fidei imitati6ne,
próspera mundi despícere, et
nulla ejus advérta formidáre.
Per D6minum.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis, et laudis, quæsumus, ut interveniēte beáta Thecla, Vírgine et Mártire, nos propitiatióne tua dignos semper efficiat. Per Dóminum.

Postcommunio

Súpplīces te rogámus, omnipotens Deus; ut intercedēte beáta Thecla, Vírgine et Mártire, tuæ in nobis pietátis dona múltīplices, et témpora nostra in tua pace dispónas. Per Dóminum.

— Die 24 Septembris —

DESCENSIONIS B. M. V.
DE MERCEDE

Introitus

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Mariæ Vírginis, de cujus Descensióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. *℟.* Glória Patri.

Oratio

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christifidèles a potestate paganórum nova Ecclésiám tuam prole amplificáre dignátus es : præsta, quæsumus; ut quam pie venerámur tanti óperis Institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne a peccátis ómnibus et captivitate dæmonis liberémur. Per eúmdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 2, 1-6 et 10-14

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introduxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcite me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et dextera illius amplexábitur me. En dilectus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : véneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foraminibus petróæ, in cavérna macéria, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale Cant. 2, 4-5 Introduxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. *℟.* Fulcite me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo.

Allelúja, allelúja. *℟.* Tu regis alti jánuæ, et aula lucis fúlgida : vitam datam per Vírginem, gentes redéptæ, pláudite. Allelúja.

✠ In Diœcesi Barcinonensi, omisso ultimo Allelúja, dicitur

Sequentia

Plaudat agmen captivórum,
Turba psallat christianórum,

Lætum sumat et decórum
In hac die cánticum.

Simul omnes exsultémus,
Atque grati celebrémus,
Lucem tantam, qua gaudémus,
Vincla fracta cernere.

Fulget jam dies benígna,
Qua cælitum plausu digna,
Suxæ celebránda signa
Caritátis éxhibet.

Ecce fidem, ecce vitam,
Astu, plagis impetitam,
Fere tot malis contrítam,
Firmat Virgo génitrix.

Ejulátus et laménta
Fidæ plebis, et torménta
Videns illa, non fuit lenta
Déxteram porrigere.

Ut discrimina solvántur,
Quibus mersi contristántur,
Atque in pátriam reducántur
Fide rursus íntegri.

Dum Noláscus cogitáret,
Ut opprésos liberáret,
Et assíduis vacáret
Meditatió nibus :

Clemens se fronte seréna,
Ut miséllos de caténa
Ipse levet Saracéna,
Illi dat conspícere.

Sibi gratum nimis fore,
Nato quoque pronit ore,
Sacrum si pro sui honóre
Ipse condat Ordinem.

Cui præsertim sit curáre,
Ferro vinctos explicáre,

Sospitésque revocáre
A fera tyránnide.

Hoc insigne amoris rari
Opus jubet asservári;
Et ut possit propagári,
Palam docet álios.

Cœpit Petrus obsequéndo,
Cum sodálibus, vovéndo,
Si necesse sit, manéndo
In pignus, redímere.

Dulcis Institútrix nostra,
Matrem nobis te esse monstra,
Et captivos réfove.

Ignem auge, fac præcláram,
Atque Nato redde caram,
Quam fundásti sóbolem.

Da quod tibi grati simus :
Et ut tártara possimus
Evitáre, cum abímus,
Vultum tuum éxhibe.

Amen. Allelúja.

✠ Sequentia sancti Evangélii
secúndum Joánnem.

Joann. 19, 25-27

In illo témpore : Stabant
juxta crucem Jesu Mater
ejus, et soror Matris ejus
María Cléophæ, et María
Magdaléne. Cum vidisset ergo
Jesus Matrem, et discípulum
stantem, quem diligébat, dicit
Matri suæ : Múlier, ecce filius
tuus. Deínde dicit discípulo :
Ecce mater tua. Et ex illa hora
accépit eam discípulus in sua.
Credo.

Offertorium Judith, cap. 13, 31
Benedicta tu a Deo tuo in omni
tabernáculo Jacob, quóniam
in omni gente, quæ audierit
nomen tuum, magnificábitur
super te Deus Israël, allelúja.

Secreta

Tua, Dómine, múnera recólentes, hóstias tibi laudis offerimus : suppliciter deprecántes; ut qui dignátus es per Unigéniti tui Matrem fidéles a barbarórum eripere servitúte, propítius nos quoque a dæmonis láqueis et captivitáte præstes immúnes. Per eúndem.

Præfatio Et te in Descensióne.

Communio Cant. 8, 7 Aquæ multæ non potuerunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent illam : si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam, allelúja.

Postcommunio

Redemptionis nostræ, Dómine, sacramentis percéptis, beatíssimæ Genitrícis tuæ intercessióne nos réfove : ut cujus ope córporis víncula exúimus, ab ánimæ quoque néxibus, ipsa te obsecrante, solvámur : Qui vivis.

==== Die 1 Octobris ====

S. ANGELI REGNI
CUSTODIS

Missa ut in Festo Ss. Angelorum Custodum die 2 Oct., præter Orationes.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ineffábilí providéntia unicuíque regno singulárem Angelum ad custódiám deputásti : concéde, quæsumus; ut Angeli regni nostri Custódis précibus et patrocíniis ab ómnibus semper eruámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ pro sancti Angeli regni nostri Custódis veneratióne deférimus : et concéde propítius; ut, perpétuis ejus præsídiis, a præsentibus periculis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, sancti Angeli regni nostri Custódis festivitáte lætántes : quæsumus; ut ejus protectione ab hóstium júgiter liberémur insídiis, et contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

==== Die 12 Octobris ====

Commemoratio

B. MARIE DE COLUMNA

Missa Salve, sancta parens, de Communi Festorum B. Mariæ Virg. Dicitur Credo et Præfatio Et te in Festivitáte, per Octavam.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui per gloriosíssimam Filii tui Matrem cæléste præsídiúm nobis mirabiliter præparásti : concéde propítius; ut quam peculiári título de Columna pia devotióne venerámur, ejus perpétuo protegámur auxílio. Per eúndem.

==== Die 15 Octobris ====

S. TERESIÆ Virginis

Introitus 3 Reg. 4, 29

DEDIT ei Dóminus sapiéntiam, et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis, quasi arénam, quæ est in litore maris. (T. P.

Allelúja, allelúja.) Ps. 97, 1
Cantáte Dómino cánticum no-
vum : quia mirabilia fecit.
℣. Glória Patri.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris
Gnoster : ut, sicut de beátæ
Terésiaë Virginitis tuæ festivitá-
te gaudémus; ita cæléstis ejus
doctrínæ pábulo nutriámur, et
piæ devotiónis erudiámur affé-
ctu. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 7, 7-14

Optávi, et datus est mihi
O sensus : et invocávi, et
venit in me spíritus sa-
piéntiæ : et præpósui illam re-
gnis et sédibus, et divítias ni-
hil esse duxi in comparatióne
illius : nec comparávi illi lápi-
dem pretiósium : quóniam om-
ne aurum in comparatióne il-
lius, aréna est exigua, et tam-
quam lutum æstimábitur ar-
géntum in conspéctu illius. Su-
per salutem et spéciem diléxi
illam, et propósui pro luce ha-
bére illam : quóniam inexstin-
guibile est lumen illius. Vené-
runt autem mihi ómnia bona
páriter cum illa, et innumerá-
bilis honéstas per manus illius,
et lætáta sum in ómnibus : quó-
niam antecedébat me ista sa-
piéntia, et ignorábam quóniam
horum ómnium mater est.
Quam sine fictiÓne didici, et
sine invídiá commúnico, et
honestátem illius non abscon-
do. Infínitus enim thesáurus
est homínibus : quo qui usi
sunt, partícipes facti sunt ami-
cítiaë Dei, propter disciplinæ
dona commendáti.

Graduale Eccli. 51, 24-25
Danti mihi sapiéntiam dabo
glóriam : zeláta sum bonum,
et non confúndar. ℣. Collu-
ctáta est ánima mea in illa, et
in faciéndó eam confirmáta
sum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 118,
130 Declarátió sermónum tuó-
rum, Dómine, illúminat : et in-
tellectum dat párvulis. Alle-
lúja.

In Missis votivis

Post Septuagesimam, omissis Al-
lelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Isaiaë 54, 6, 8, 11 Ut
mulierem derelictam et mæ-
réntem spíritu vocávit me Dó-
minus. ℣. Dixit : Abscón-di fá-
ciem meam parúmper a te, et
in misericórdia sempitérna mi-
sértus sum tui. ℣. Paupércula
tempestáte convúl-sa, absque
ulla consolatióne : in justítia
fundáberis, et non timébis.

Tempore Paschali omittitur Gra-
duale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Apoc.
19, 7 Gaudeámus et demus
glóriam ei : quia venérunt nú-
ptiaë Agni, et uxor ejus præpa-
rávit se. Allelúja. ℣. Is. 35, 2
Exsultávit lætabúnda et lau-
dans : glória Líbani data est
ei : decor Carméli et Saron.
Allelúja.

†
†
Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore : Respón-
dens Jesus, dixit : Confi-
teor tibi, Pater, Dómine
cæli et terræ, quia abscondísti
hæc a sapiéntibus et prudénti-

bus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trá dita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque patrem quis novit, nisi Filius, et cui volúerit Filius reveláre. Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est et onus meum leve.

Credo (et per Octavam) in tota provincia ecclesiastica Vallisole-tana.

Offertorium Jer. 20, 9 Factus est in corde meo quasi ignis exástuans, clausúsque in óssibus meis, et deféci, ferre non sústinens. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Majestáti tuæ, quæsumus, Dómine, beátæ Terésiaë précibus nostra sit accépta devótio : cui medullátum cordis ejus ita plácuít holocáustum. Per Dóminum.

Præfatio

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubique grátias ágere : Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : per Christum, Dóminum nostrum. Qui beátam Terésiam Sanctórum sciéntia ac divínæ caritátis ardóre muneráre : et Angeli visióne, igníto jáculo præcór-

dia ejus transverberántis, vehementius inflammáre : eámque sibi spiritali connúbio sociátam, data dextera, significáre dignátus est. Quo caritátis incéndo dum beátæ Terésiaë vita consúmitur, spíritus ejus, colúmbæ spécie égredi visus, sublímem cæléstis glóriæ gradum conscéndit. Et ideo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militía cæléstis exercítus hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicétes.

In tota provincia ecclesiastica Vallisole-tana dicitur tota Octava, etiam in Festis propriam Præfationem non habentibus.

Præfatio cum cantu ut in fine hujus Proprii, pag. 46

In Missis votivis post Septuagesimam in fine sequentis Communionis omittitur Allelúja.

Communio Ps. 88, 2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo, allelúja.

Postcommunio

Subdita tibi familia, quam cælésti pane satiásti, quæsumus, Dómine, Deus noster : ut, beátæ Terésiaë intercessióne et exémplo, misericórdias tuas váleat in ætérnum cantáre. Per Dóminum.

==== Die 5 Novembris ====

(In multis Diócesibus)

SACRARUM RELIQUIARUM

Missa Multæ tribulatiónes ut inter Festa pro aliquibus locis.